Quelle: https://manuscripta.at/?ID=47062
Copyright: Stams, Zisterzienserkloster

inter mamillas abscondisse narratur; quod Ysgebrochis fabulae simile videtur).

Et cum jam eadem Dei famula, post longum et laboriosum itineris laborem, Mauricianam venisset; et ibidem Dominus multa miracula et praeclaras virtutes, per merita venerabilis Joannis Baptistae operatus fuisset; audientes ex vicinis civitatibus Episcopi tres, Taurinensis scilicet, Augustensis, nec non Bellicensis, cum multitudine fidelium facto consilio, ad visitandas Reliquias convenerunt; et ut, si fieri posset, aliquas particulas de sanctis Reliquiis accipere merentur. Non negatur votum: imploratur Dei voluntas: in medio ponitur super linteum mundum pignus sacratissimum. Sed nihil omnino de dono auferre potuerunt. Tunc triduo jejunantes, et vigilias observantes, Dominum humillime rogaverunt, ut aliquod donum eis inde largiretur. Tertio vero die cum digitis sanctis suppositissent linteum; una sanguinis gutta ex eis exivit. Quod ~~cet~~ cernentes, devotius se iterum in orationem prostraverunt. Tunc que gutta dua ex eis profluxerunt. Quas iterum magno gaudio colligentes, linteum, sancto sanguine tinctum, cum summo honore diviserunt: et cum magna devotione unusquisque partem suam ad propriam deportavit civitatem. Ex eo die Episcopi per omnes has tres civitates in honorem S. Joannis Baptistae ecclesiam dedicarunt. Tunc sancta Dei famula, timens, ne forte adventu paganorum, vel violentia Principum sibi Reliquia tollerentur; abscondit se in uno loco, qui dicitur Loconia, ibique tugurium parvulum construxit, ut orationibus secretis sibi vacare liceret in locis remotis. In quo loco tutissimo passerum multitudo conveniebat, qui eam nimio strepitu inquietabant. Qua de re Dominum prostrata oravit, ut eam ab illorum impedimento liberaret. Cumque surrexisset ab oratione: plus solito eam avicula infestabant; et hac illacque super eam volitabant. Quas per nomen Christi adjuravit, ut ab ipso loco recederent: quae mox fugam inierunt: et ab illo die usque in praesentem nunquam passeres ibi comparuerunt.

Locus autem Mauricianensis illis temporibus ad Taurinensem urbem pertinebat: in qua urbe Dominus Rufus